

X

stantam eruptionem in infante adesse; quoniam vero chirurgus ad partem oris posteriorem et lateralem cultello penetrare non poterat, propter spasnum totius faciei et in primis maxillae inferioris, veritus, ne infans laederetur, consilium istud mittendum existimabam. Ecce vero praeter omnem expectationem nocte intra sextum et septimum diem omnia symptomata reuertebantur, vesicatoria sicca decidebant, alii fluxus et conuulsiones et breui post mors ipsa infantis insequebatur. Septimo die, praeterlapsis inde a morte sex vel octo horis, abdomen post mortem intumescebat, et ad utrumque latus maxillae inferioris augebatur tumor, antea iam obscure perceptus, ita, ut magnitudinem ouie gallinacei superaret, unde magna copia sanguinis coagulati stagnaret.

Interdum vero etiam varii oriuntur morbi, ad eruptionem dentium in se quidem non pertinentes, sed tamen ita comparati, ut impedita dentium eruptio, et irrita molimina, eam antecedere solita, ipsis occasionem ac veluti ansam praebuisse videantur. Quam in rem utralia exempla commemorari possint, ita hoc unum non indignum censeo, quod nunc quidem commemoretur. Puer septem annos natus vexabatur febre tertiana, per sex aut septem paroxysmes valde regulari; itaque euacuantia primarum viarum et lenia resoluentia, clysmata antispasmodica, et emollientia adhibebantur, et paroxysmi febris sensim minuebantur. Quatuordecim diebus post febris tertiana in quotidiam mutabatur, adhibitis vero medicamentis leniter roborantibus, febris tertiana reuertebatur; excretiones consuetae per sudorem et vrinam bene cedebant, et puer quanquam debilis, tamen tranquillus erat. Subito nunc febris in continuam mutabatur, aucto et per totum diem noctemque continuato aestu, omnis